

Med. ix. not. d. Acute ex fabularum ordine suspicatus est Elmsl. ad Med. p. vii. not. b. Flor. 2. Palat. B. et Pariss. E. G. in illis saltem quae eodem modo sequerentur fabulis communem originem habere. Addidi Flor. 1. Omnia confirmat Elmsleii praef. ad Bacch.

*Florentinus* 10. „Laur. B. (xxxii, 10.) nonnisi primas septem et Rhesum habet” Elmsl. ad Bacch. p. iv. not. a. Papyraceus saec. xiv. in 4. secundum Bandin. ap. Beck. Rhesum in fine mutilam praebet. Nam desinit vs. 714. [710. Matth. 697. nostr. ed.] cf. Elmsl. ad Bacch. p. v. not. — Ex uno eodemque fonte fluxit atque Flor. A. quem v.

*Hardionii codd.* vid. *Parisini*.

*Harl. Harleianus.* „5743. in Museo Britannico, qui Alcestidis fragmentum — — Rhesum et Troades continet.” Matth. T. vi. p. viii. Cum Rheso contulit Musgr., qui solas Rhesum et Troades habere dicit.

*Havn. Havniensis.* Matthiae copiam fecit B. G. Niebuhrius, qui contulerat adolescens „chartaceum, qui novem Euripidis traegodias Medeam, Hecubam, Orestem, Phoenissas, Hippolytum, Alcestin, Andromachen, Troades et Rhesum continet.” Matth. T. iii. p. iii. Est is ex optimis Euripidis exemplaribus et praecipuus fons textus emendandi, donec constet de Vaticano libro, quocum fere conspirat. Memorandum quod Matthiaeus ad vs. 937. (925. nostr. ed.) adscripsit: „In Havniensi post hunc versum qui ultimus est quaternionis 12. tomi secundi sequitur in folio proximo spatium, quantum 19. versiculorum capax sit. Quae deinceps exhibet codex usque ad finem — nulla enim hic lacuna est, ab alia manu scripta sunt, quam quae vel primum vel alterum tomum exaravit.” De alia huius codicis nota v. ad vs. 691. (704. ed. Matth.).

*Miltonus.* *Io. Miltonus* in Rheso ad vs. 529. (p. 210. nostr. ed.) commemoratur a Barnesio. Adscripsit quaedam margini editionis P. Stephani. Omnes eius notae editae dicuntur in Mus. crit. Cantabrig. n. 3. p. 283.

*Palatinus A.* „98. bibliothecae Vaticanae, olim Heidelbergensis, chartaceus, non antiquus. Easdem fabulas habet quas Vaticanus, eandemque recensione exhibet. Sed eius apparatu critico destitutus est. Fortasse ab eo derivatus est, non tamen ab eo descriptus.” Elmsl. ad Med. in Ind. Codd. — Potest etiam codex hic et Vaticanus ex archetypo aliquo descriptus esse. Neque fugit librarius, iudice Elmsleio, critici provinciam, quam ita susceperit, ut loca multa depravata redderet etiam depravatiores. Ad Rhesum nondum collatus est.

*Palatinus B.* „287. eiusdem bibliothecae, membranaceus, saeculi fortasse decimi quarti. Extant in eo fabulae viginti Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, in his Rhesus. Scholia nulla, si bene memini, neque frequentes glossae et variae lectiones. In Medea saltem solus saepe cum Aldina consentit; aliis vero locis idem prorsus diversas exhibet lectiones, necdum alibi repertas.” Ex Elmsl. l. l. Ad Rhesum nondum collatus est. V. de eo Fr. Sylburgii Monumenta pietatis et Litteraria. Eiusdem collationem habere videtur G. Dindorf. qui hic illic laudat